

quem Excellentia tua probe novit, adjunctis quibusdam aliis participibus, propter fidelia et diuturna eorum servicia concessit et assignavit tributum, quod Maiestati suæ singulo anno debetur de civitate Sancti Galli. Is, ad consequendum gratiæ eiusmodi effectum Præstantiæ tuæ favorem sibi magno usui esse considerans, a me petiit^{b)}, ut se tibi commendarem. Et quia ego dicto Andreæ ex corde bene volo, rogo eandem tuam Præstantiam, illi singulari favore et auxilio vel mea causa adesse velit, ut ipsi cum sociis suis iuxta Cæsareæ Maiestatis assignationem prædictum tributum in singulos annos numeretur; et insuper me quoque et episcopum atque ecclesiam Constantiensem^{c)}, cuius membrum existo, in rebus occurrentibus^{d)} semper habere commendatum, quod ego digna vicissitudine compensare studebo erga Præstantiam tuam, quam dei benignitas diutissime conservet incolumem. Ex Vallisoletto, die XXV Marcii, anno domini MDXXVII.

Vester amicus

Baltazar de Waltkirch, præpositus in *Waltkirch* etc.,
Cæsareæ Maiestatis etc. vicecancellarius^{e)}.

Ornatissimo viro, domino Ioachimo Vadiano, artium et medicinæ doctori atque poetæ laureato, burgimagistro civitatis Sancti Galli, amico charissimo.

a) Durchgehends „e“ für „æ“. — b) „paciit“. — c) „-ciensem“. — d) „occuren-“. — e) Die Unterschrift von anderer Hand als der Text.

1) Von Balthasar von Waldkirch liegt nur dieses eine Schreiben vor.

II 292.

480.

Berchtold Haller¹⁾ an Vadian.

Bern. 1527. April 19.

Erkundigung nach einem Briefe, den er einem Boten von St. Gallen übergeben hat.
Sein Mitstreiter Franz Kolb. Massnahmen des Rates. Grüsse an Bekannte.

S. Erat apud^{a)} nos, charissime Vadiane, ex vestratibus legatus novissimis^{b)} comitiis, cuius sinceritatem^{c)} nescio. At qualiscunque esset, per nostratem nuntium^{d)} illi commendandas literas commiseram. Interim quæ acciderunt? Iunctus est mihi in verbi ministerio magister Franciscus Kolb, olim apud^{a)} nostrates contionator^{e)}, deinde ad decennium apud^{a)} Noricos Carthusian^os, nunc autem ad quinquennium Christianus. Is in prædicando Christo, in scripturæ iudiciis sua dona habet, procul dubio a quovis admiranda. Deinde non te latet mandatum hoc, partim pium, partim impium, quod magnifici nostrates anno superiore iuramento

firmaverant. Hoc nunc abrogandum decreverunt et primum, olim chalographiæ^{f)} typis invulgatum, in illius locum acceptarunt; ea tamen conditione^{g)}, ut tum totius dicionis^{h)} consensus adsit, tum ut privata auctoritate nemo quippiam immutare præsumat. Negotium eucharistiæ a Francisco coram senatu et ducentis confessum est, a me vero in suggestu; ea tamen modestia, ut nihil hinc tragædiæ^{b)} vereamur. Ceterum currit sermo domini et ita adduntur congregationi, ut oligarchis paucum admodum deferendum sit. Salutabis Zilinum, Iufflinum, Iacobum. Salvus interim sit Cristannus Fridboldius; a suis quoque vitam incolumem agentibus, tum et a me ceterisque fratribus sit salvissimus. Vale, doctissime Vadiane, valeantque fratres singuli, qui urbi nostræ congratulentur et non sine precibus, ne inimicus hæc (?) zizania superseminetⁱ⁾. Speramus, Ioannem Birschhoff vobis notum futurum ex primoribus urbis. Iterum vale. Bernæ, 19. Aprilis, anno MDXXVII.

Tuus ex animo *Bertoldus Hallerus Rubevillanus.*

Prudentissimo viro D. Ioachimo Vadiano, apud^{a)} Sancto-gallenses consuli, maiori suo in domino semper observando.

a) „apud“. — b) „novissimis“. — c) „sync-“. — d) „c“ für „t“. — e) conc-“. — f) „calco-“. — g) „ti“ für „ci“. — h) „e“ für „æ“. — i) „-seminet“.

1) Vgl. III, Brief 434.

481.

II 295.

Johannes Comander¹⁾ an Vadian.

Cur. 1527. April 28.

Klage, über die laue Haltung des Rates. Beseitigung der Bilder aus der Kirche bis an das Holzwerk des Hochaltars. Anfechtungen und Nachstellungen. Vergeblicher Versuch, den st. gallischen Pfarrer Burgauer eines Bessern zu belehren.

Gratia^{a)} et pax per Christum. Commodum^{b)} tabellarium nactus, eximie vir, si meis ad te litteris vacuum dimissem, frustra esset, ut dissimularem, quin ingratitude facinus in virum optime de re christiana meritum commissem. Summam rerum nostrarum paucis scribo, non ut plane edocerem te, sed ut percunctandi potius ansam præstarem. Senatus^{c)} noster, nec invitus quidem, in re evangelii quicquam ædificat; sed tantum cum obstandum esse nullis artibus prospexerit, aliqua ægre permittit, ut nunc tandem eo promoverimus, ut idola omnia e templo nostro eiecta sint præter^{d)} ingentem lignorum struem, primariæ aræ incubantem, quæ propediem quoque eiicietur, ut spero. Dominicam cœnam exturbatis